

1346 iul. 11.

Anno igitur domini 1346 supervivente adhuc Lodo-
vico imperatore III. principes electores, inter quos Walramus
archiepiscopus Coloniensis ob complacentiam dicti Clementis
pape VI. rem fortius agebat, iuxta villam supra Renum p[ro]vi-
tam, quae Rens dicitur, supradictum Carolum III. filium Jo-
hannis regis Bohemiae, principem tunc Moraviae, in regem
Romanorum unanimiter elegerunt, quem dictus Walramus
Coloniensis archiepiscopus in statim in Bonna in regem
coronavit; nam ^{a)} civitas Aquisgranensis adhuc parti prefati Ludovici
adhuc viventis fortiter adhererat. Itaque dictus Carolus
propter potentiam prefati Ludovici, quamdiu idem super-
vixit, ad administrationem regni non pervenit, sed solo
dumtaxat nomine regnavit. Post obitum vero eiusdem Lodo-
vici, cum prefatus Carolus III. de administratione regni
se intromitteret, Henricus archiepiscopus Maguntinus
licet per sedem apostolicam dudum depositus ecclesiam
Maguntinam retinens usque ad suam obitum manu
valida occupatam adiunctis sibi aliquibus de principibus
Germaniae, qui regno dicti Caroli non favebant, in loco
qui Eckwille dicitur in territorio Maguntino nobilem
virum Eucherum comitem de Swartzeburgum virum
in bellis strenuum et exercitatum, sed etate ma-
iora provecum contra prefatum Carolum in regem
erexerunt. Sed illo breviter postea defuncto dictus

1349 ian. 30.

1349 iun. 14.

^{a)} iam cod.